



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Quomodo sanctus Episcopus altercantem secum alterum humilitate
superauerit. Capvt CCX.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

*Ecce nunquam debere Monachum institutum suum
deserere.*

*Pulchra admonitio cuiusdam sancti viri super ver-
bis orationis Dominica, & ne nos inducas
in tentationem.*

CAPVT CCIX.

Dixit quidam sanctorum : Cum oramus ad
Dominum dicentes : Ne nos inducas in ten-
tationem : non vt non tentemur oramus,
hoc enim possibile non est, sed ne à tentatione ab-
sorbeamur, si aliquid agamus, quod displiceat
Christo, hoc enim est nō intrare in tentationem :
Sancti enim martyres tentati per supplicia, nec
superati, non intrarunt in tentationem, sicuti ne-
que qui pugnat cum bestia, quousque non de-
uoratur ab ea : Cum verò deuoratus fuerit, tunc
introiuit in tentationem. Ira & in omni passione
fit. Neq; enim intramus in tentationem, nisi à
passione superemur.

*Quomodo sanctus Episcopus altercantem
secum alterum humilitate
superauerit.*

CAPVT CCX.

QUIDAM ex patribus narrauit de duobus
vicinis Episcopis, quòd aliquando inter e-
os simultas quædam exorta sit. Erat autē
ex his alter quidem Diues, & astutus, alter verò
humilis valdè : Quærebatque astutus ille alium
lædere. Quòd cum ipse comperisset, ait clero
suo

suo: Christi gratia vincere possumus. Dixeruntque illi: Quis, Domine, aduersus istum præualere possit? Et ait illis: Expectate paulisper, & videbitis misericordiam Dei. Obseruauit igitur diem, qua ille martyrum¹ festiuitatem celebraret, assumensque clerum suum ait illis: Sequimini me, & quicquid me facere uideritis, & vos facite, prorsusque victores erimus. Dicebant ergo: Quid putas facturus est? Venit igitur ad Episcopum, & pertransiit ante² Litaniam, populoque totius ciuitatis congregato, procidit ad pedes eius cum toto clero suo dicens: Ignosce nobis, Domine, serui tui sumus. Superfactus ille, atque compunctus in tanta Episcopi humilitate, Deo cor illius immutante, pedes alius tenuit dicens: Tu meus & Dominus, & pater es. Factaque est inter eos ex illa die magna charitas, atque concordia. Dicebat autem clero suo humilis ille: Nunquid non per Christi gratiam uicimus? Et vos ergo cum habetis inimicum, ita facite, & victores eritis.

Dixit iterum senex: Maiorem habet gloriam humilis, quam Rex. Ille enim solum in faciem laudatur, hic autem semper, & ubique laudatur, & beatus prædicatur.

¹ Etiam olim festa sanctorum martyrum celebrabatur.

² Vide Litaniarum usum antiquum in Ecclesia.

De senex magna uirtutis, qui fratrem suum illi suffragatum à carcere liberauit:

C A P V T C C X I.

NA R R A V I T nobis Abbas quidam, dicens: Erat prope cœnobium nostrum senex quidam lenissimum animi, maximusque